

DIDYMI HERMANNOVILLANI

DISQVVSITIONES
VBIQVISTICÆ.

SIVE

DE CHRISTO

Contra VBIQVISTAS,
aliosq; PRÆDICANTES
à CHRISTI Ecclesiâ, & CHRISTO,
quà doctrinæ, quà vitæ studiis,
longè exerrantes.

CVM IRENICA
AD EOSDEM PRÆDICANTES

PARÆNESI.

Bibliotheca Salamantinae S. I.



Superiorum permissu

AVGVSTÆ GEDIMINIÆ

Typis Hæterianis Anno MDCCLIV.



DISQVISITIO.

I.

Qui sint Vbiquistæ? quomodo cum Formulâ Concordiæ renati, & per eandem mutuò collisi? cur hoc tempore, præ cæteris, impugnandi?

L. **N**E quid studio brevitatis, de ipso controversiæ statu omittatur, omittenda erunt, quæ in Modo, ac Methodo tractandi injicere moram aliquam possunt. Quocirca distributis per suas Disquisitiones totius causæ capitibus, omnis controversia per suas Propositiones ad calcem deducenda, explicandaque est, sumpto ab ipsâ Vbiquistarum origine exordio.

PROPOSITIO. I.

Vbiquistæ, quanquam monstrosus, verus tamen & germanus Lutheranismi partus sunt.

2. **M**onstri enim simile est, ad firmandum contra Zuinglij, Calvinique combenones, Lutheranismum. Vbiquitatem, quæ eundem funditus subruit, invenisse, inventamq; fovere. Nam cum Zuinghiani, & omnis Calvini Schola veram, & realem præsentiam Corporis Christi de Sacramento Eucharistiæ sustulissent, Lutherani verò, potestate Sacerdotum novæ legis, ipsoque Ordinis Sacramento everso, proindeq; etiam Transubstantiatione negatâ, præsentiam illam adstruere aliâ viâ non possent. ad Vbiquitatem, tanquam ad Sacram anchoram, contugerunt. Ex eo quippe quod

A

Huma-